





92  
1718, 19  
22

FACULTATIS JURIDICÆ  
DECANUS,  
JOANNES PHI-  
LIPPUS & Streif/  
JCTUS,

CONSILIARIUS REGIMINIS  
ELECTORALIS,

B. L. S.

---

ERFORDIÆ,  
TYPIS JOH. HENRICI GROSCHII,  
ACAD. TYPOGR.







Urisprudentia Oceanus est, in  
quo Agnus natat, & vulpes  
mergitur; volo dicere: Simpli-  
citas est amica legibus. §. 3. In-  
sit. de legit. agnat. success. est  
amica veritatis. cap. 14. de jure-  
jur. Econtra sub nimia subti-  
litate plerumque perniciōē erratur. L. ultim.  
paulō ante fin. Cod. de jur. dot. Multum enim mali  
facit nimia subtilitas, & insuper infesta est veritati.  
Seneca Epist. 88. paulō ante fin. Atqui acuta sunt ista,  
quaē dicas, objicit idem Seneca Epist. 82. in fin. &  
mox subjungit: Sed nihil est acutius aristā: quedam  
inutilia ipsa subtilitas reddit. Hinc compilatoribus  
juris

) 2

juris nostri nonnulli succent, quod legem 21. f.  
de furtis. tam vanam, tamque spinosam, quæ plus  
subtilitatis, quam utilitatis complectitur, ac quæ  
Philosophiam non veram, sed fucatam & sophisti-  
cam redolet, in Pandectas retulerint. Sed an be-  
ne, judicent alii, dicta enim eò rapienda non sunt,  
quasi Jurisprudentia abdicet magna ingenia, vel  
omnem subtilitatem, cum contrarium pateat ex  
L. 2. §. 15. Cod. de vet. jur. enunc. ubi Imperator ad  
cavendas antinomias vult subtiliter excutiendas  
esse rationes diversi juris. & L. unic. Cod. de Profes-  
sor. qui in urb. expresse requirit in Professoribus in-  
terpretandi subtilitatem; qualis etiam requiritur in  
interpretanda dict. L. 21. f. de furt. in qua habetur  
quæstio seu controversia talis, si quis ex acervo  
frumenti modium, vel ex armario, cellâ, apothecâ,  
involutro res, quasdam abstulerit, totiusne fur-  
censeatur? an tantum ejus quod abstulit? Ofi-  
lius censuit, totius furem esse, eò quod totum  
contrectasse videatur, qui partem contrectavit:  
quemadmodum hominem totum tetigisse dicitur,  
qui aurem ejus tetigit. d. L. 21. in princ. Ofilio ad-  
stipulari videtur Paulus in L. 22. §. fin. ff. cod. ubi af-  
serit, qui lancem rasit, totius furem esse, eoque  
nomine teneri furti, in id, quod interest domini.  
Sed his reclamat Ulpianus in d. princ. L. 21. ubi af-  
serit, in tantum quemque teneri, quantum abstu-  
lit. Id ipsum repetit in §. 5. d. L. 21. ubi ait: si quis  
de horreo pleno aliquid frumenti, de cisternâ pa-  
rum

rum aquæ, de nave Vinariâ parum vini abstulerit,  
durum fore, si fur totius fuisse dicatur. & in §. 6.  
*d. L. 21.* ait: Si quis ex apotheca amphoram sustu-  
lerit, vel ex horreo mercis aliquid, ejus, quod ab-  
stulit, furem esse, non totius. Paulus etiam in *d.*  
*L. 22. §. 1.* afferit, si arca eo consilio refracta sit, ut  
uniones tollerentur, unionum tantum furtum sie-  
ri, non rerum etiam cæterarum, quæ reponun-  
tur, ut ad uniones perveniantur. Ulpianus tamen  
in *d. L. 21. §. ultim.* sui immemor, dicit, earum quo-  
que rerum, quas non abstulit furti quemque tene-  
ri. Interpretes ut è difficultate hac emergant, &  
Ulpianum cum Paulo & secum ipso concilient, va-  
dum nullum relinquunt inexploratum. Plerique  
eam distinctionem adhibendam esse censem, quam  
suggerit ipse Ulpianus in §. 8. *d. L. 21.* ubi interesse  
ait, fueritne corpus, quod quis aperuit, vel re-  
fregit, tanti ponderis, ut auferre totum non potue-  
rit, an totum potuerit tollere. Priore casu non  
totius, sed rerum singularum, quas abstulit, ait  
furem esse. Posteriore casu totius. Undè dum  
idem in *Princ. d. L. 21.* indistinctè scribere videtur,  
in tantum quemque teneri, quantum abstulit, sub  
eādem distinctione exaudiendum putant, quam  
retulit in §. 8. nempe in tantum quemque teneri,  
quantum abstulit, si tollere totum non potuerit.  
Similiter dum idem JCtus in §. fin. *d. L. 21.* sine di-  
stinctione scribere videtur, earum quoque rerum,  
quas non abstulit, quemque teneri, sub eadem di-  
stinctione

distinctione intelligendum censem, nempe earum quoque rerum, quas non abstulit, quemque teneri, si auferre totum potuerit. Aliis hæc distinctione displicet, durum enim & iniquum esse videtur, illarum rerum nomine quem teneri; quas non abstulit; hinc clavum clavo repellunt, ac subtilitatem sophisticam, quâ materiam hanc discussit Ulpianus, subtilitate simili retundunt. Potest enim quæstio hæc: *Sine fur totius censendus, qui partem abstulit?* in dupli sensu ventilari, Morali & Philosophico. Moraliter: si eam expendamus, fur totius non est censendus, qui partem abstulit: æquitati enim adversatur, actione furti earum rerum nomine quem teneri, quas non contrectavit. *d. L. 21. pr. §. 5. & 6.* Philosophicè verò: si prædictam quæstionem discutiamus, fur totius dici poterit, qui partem sustulit: nam partem, vel minimam: si quis auferat, non manet idem totum, quod fuit ante. At cum difficultas hæc plus subtilitatis, quam utilitatis complectatur, ei diutius non immoror, sed occasione principii *d. L. 21. ff. de furtis* hanc materiam ex Cathedra pluribus explanabit

**NOBILIS ET CLARISSIMUS  
DN. JOANNES PETRUS  
GRÆFE,**

Francohusanus, Notarius Publicus

Cæsareus,

In

In Lucem Is editus fuit 14. Octobris Anno 1690. Ge-  
nitorem habet VALENTINUM GRÆFE, Ci-  
vem Francohusanum ex numero & circulo Zytho-  
polarum, Genitricem, ANNAM ELISABE-  
THAM, è Familia PAULANDIANORUM, ante qua-  
driennium piè defunctam. Ab his Charissimis suis  
Parentibus ab ineunte ætate Scholæ Francohusanæ  
oblatus, eandem ad annum ætatis suæ decimum  
nonum frequentavit, in eaque sub DN. quondam  
Rectoris *M. Joannis Hoffmanni*, p. m. & DN. Con-  
Rectoris *Grauens*/ fideli Directione atque Manu-  
ductione, literis humanioribus imbutus, Anno  
1709. Gymnasio Rudolphopolitano admotus, ibi-  
que Clarissimi tunc temporis Gymnasiarchæ, *M.*  
*Mülleri*, ulteriori Instrukcione ad Academica Stu-  
dia præparatus, Jenensia Musarum Castra die pri-  
ma Augusti Anno 1711. salutavit, ibidemque Dn.  
Doctoris *Struvij* jun. Prælectiones ad Institutiones  
Imperiales, & Dn. Doctoris *Beckii* Declarationes  
Jurisprudentiæ Struvianæ, insuper Dn. Doctorem  
& Professorem *Briücknerum* Historiam Juris expla-  
nantem audivit. Dein Anno 1712. Halam se contu-  
lit, ibidemque Collegia Dominorum Doctorum &  
Professorum *Bönickii* & *Ludovici* in Pandectas, nec  
non Dn. Doctoris & Professoris *Ludewigis* in Berge-  
ri Oeconomiam Juris per biennium frequentavit.  
Porrò Anno 1714. patrios lares repetiit, eodemque  
Anno 15. Novembbris à Magnifico & Generoso Do-  
mino *D. Petri ab Hartenfels* Privilegia Notarii Cæ-  
farei

farei jurati obtinuit. Tandem ab Inclita Faculta-  
te Juridica ad consuetum Candidatorum Juris Exa-  
men admitti decenter petiit, annuit præfata Facu-  
tas, eundemque, Examine peracto, ad ulteriora  
Specimina admisit, proximâ itaque die Mercurii  
horis consuetis ad Principium d. L. 21. Lectionem  
Cursoriam, eâque finitâ, Disputationem Inaugura-  
lem habebit. Ad quos Aëtus solemnes Magnificus  
Dn. RECTOR & Domini Proceres ac Cives Acade-  
mici, eâ quâ par. est observantia, invitantur. Publi-  
catum sub Sigillo Facultatis Juridicæ 23. Octob. 1718.

L.S.





Erfurt, Diss.) 1718





B.I.G.

Black

Farbkarte #13



1718, 19

22

92  
FACULTATIS JURIDICÆ  
DECANUS,  
JOANNES PHI-  
LIPPUS *Streif/*  
JCTUS,  
CONSILIARIUS REGIMINIS  
ELECTORALIS,

B. L. S.

---

ERFORDIÆ,  
TYPIS JOH. HENRICI GROSCHII,  
ACAD. TYPOGR.

